


BULI
azionale
Firenze


IO. NESII ORACVLVM
1497
B
6
8


INC
Bibli








FRANCISCI
CAESARIS AVGVSTI
MVNIFICENTIA.

160 B.6.8

XXXIV

Jo. NESII orat.
De Novo saec.
Flor. 1497.




IOHANNIS NESII
FLORFNTINI
ORACVLVM
DE NOVO SAECVLO



IOHANNIS NESII FLORENTINI ORACVLVM AD IOHANNEM FRANCISCVM PICVM MIRANDVLAM ILLVSTREM CONCORDIAE PRINCIPEM.

c ONTVLI Me hoc quinquagenario peractis Pentecostes solemnibus/ quodam ueluti postliminio in uuetere academiã: in qua factus est mihi obuiam Plato/cũ eoq; platonicus Aeneas: quorũ alter leges suas e diuino sinu decerptas spectandas nobis obtulit/ac totis uiribus pensitandas: ut siquãdo opus fuerit pro uirili nostra/Florẽtina res. p. melioribus temperaretur & institutis & legibus. Alter uero diutius ĩ academia uersatus: cũ platonica diuinitate fœcũdior: tum christiana ueritate potentior: tam docte/tam distincte de anima disseruit: tam eleganter eius officia/mysteria/leges prosecutus est/ut ex eo sermone compertũ sit ad rem. p. capessendam accedere posse neminem: nisi prius quæ in nobis est: intraq; domesticos parietes/ cæterarum quasi typus ciuitatum/ ĩnotuerit atq; constiterit. Vbi nescio qua diuina sorte in eum incidimus locum: quo rogatus ab amico Plato quatenus standum esse præceptis suis iubeat: Donec inquit elucescat in terris sacratior q̃ homo aliquis: qui fontẽ omnibus ueritatis aperiat: quem deniq; sequantur omẽs. Hic ego statim obtutu defixus ĩ uno/grauissimæ huius lectionis cursum inhibui: anceps an diuinũ uerbũ diuinus philosophus diuinitus olfactaret. Nam & illud in hãc sentẽtiam



occurrit ab eodē/eodē forsitam genio litteris com mendatū. Deum esse omniū mensuram: maxime uero/siquis (ut ferunt) homo est. Hoc est: si deus aliquis quandoq; fiat homo: ut ferunt: oracula ui delicet prophetarum. Astipulabantur etiam nobis nō uacillantis fidei auctores: qui platonē ex eodem quo Moses/fonte/pleraq; apud ægyptios hausisse te stantur. Diui quoq; Augustini auctoritas id facile me adducebat/ut crederem: quandoquidem in aca demicis platonicorum dogmata affirmet/si pauca excludantur/inter christianorū decreta esse recipien da. Et in eo quē de ciuitate dei inscripsit libro/ideo ad platonicos se potissimum animū applicuisse con tendat: quoniam de deo summo & uero quāto rec tius q̃ cæteri senserint/tanto & illustriores habendi sint & nostrorū cōmertio digniores. Neq; parū affe rebat præclara illa uox Labeonis Apuleiq; Platonē prædicantium tum inter semideos tum inter deos esse annumerandum. Contra uero more socratico/ quæ huiuscemodi auctoritates emoliri: quæ/ratio nes siquæ sunt/diluere labefactareq; possēt/me diu tius/citatis undecunq; testimoniis cogitantem ac ar gumentationes utrinq; cōgredientes colluctantesq; nostra (ut sic loquar (libella metientē & interdū ueluti scopulo inhærentem/sensim altior quidam atq; suauior p sexquihorā somnus irrepsit. Et quasi in ipsa prima (ut ita dicam) somni nebula/ut de mo re plerūq; est/uere præsertim atq; diluculo. Somnia quædam ac oracula pacatæ per quietem menti sese epate suggerēte obtulerūt: digna memoratu: digna etiam tua cognitiōe/imo ni fallor/tui causa coelitus

excitata. Accipe igitur illa (tibi enim nuncupaui mus/ & semotis arbitris in ipsa cõtemplationis arce tecum si libet/altius cogita: atq; sensibus hæc imis res est non parua/repone.

u IDIMVS ad coelum oculos extollentes/ cum nescio quo pacto in orbem illum quẽ græci horizonta: nos finitorem dicimus/ delati essemus. Vidimus inquã super ipso lunari globo cum pleno integroq; esset ore ueluti in nym bo uariis stellarum luminibus distincto/stantem in uestigiis hominem quendam: quandoquidem uox hominem sonat: sed tamen diuinitus & su pra hominem concionantem: uirgamq; uolatilem: quam leua gestabat: huc illuc summa cum ratio ne uibrantem. Dextra uero uiperinos/ ni loci in terstitium me decepit/ dentes/ quasi alterum Cad mum in aruis ubiq; ferẽtem. Cuius capiti superemi nere mihi uisus est fere ad perpendiculum Sol ipse fons luminis adeo lucẽtis/ut præter illum solarem lucem ferat uel nemo uel iunonius Argus. Ab hoc sole radiorum iubar quoddam deflectebat ĩ caput/ non minus rutilans atq; coruscans q̃ Phoebe phoe beo lumine plena: Assistebat autem huic alatus qui dam pincerna uersicolor sinistra manu aureum ca licem tenens diuino undiq; nectare exuberantem. Dextera uero dialis alitis pinnula liquore illo prius circũlita concionantis linguam igneam atq; os ipm suauiter demulcebat. Despicienti dein mihi ad hæc humiliora/uisa est quasi in medio mundi theatro

abacus quædã, quantũ ex ipso ĩterlimitio conĩicere potui siue cerussata: siue creta, ut mihi uidebatur, Thessalica, quam argentariam uocant, delinita. Cuius ãbas extremitates binæ phialæ mero, ut Vergiliano utar uerbo, coronatæ, fatale quid portẽdentes onerabant. Medium autem mensæ tenebant patentissimæ quædam lances pomis mihi hactenus inuisis quasi blandientibus crustulis refertæ: quorũ singula, singuli qui aderant, aderat autem infinita pene hominum multitudo quasi ad nundinas mercatus spectandi gratia undecunq; collecta, auidius comedebant. Inde uero ad ipsas phialas properabant: alter alteram ut sors ferebat, prius delibans. Verum illud me diu ancipitem tenuit: q͂ qui alteram degustabat: alteram eiusdem forsitan notæ esse coniiciens meracius ac temulentius compotabat. Contra uero, qui alteram primum: alteram deinde nauseabundus quodãmodo uix summis, ut aiunt, labiis attingebat. Magna hæc & omnis ordinis turba a concionantis illius ore prope diuino, pendere uidebatur: in quo tanta uis erat: tanta dicendi facultas: tanta contentio: tantum robur: ut uerba ipsa: Quid uerba dico? ut portenta: ut oracula: ut sacramenta, nõ in funiculos illos quamplurimos, quod de Hercule nugatur Lucianus, Sed in solares quodammodo radios supra naturæ uim conuersa, miro quodam ordine atq; diuina adeo serie ĩnumeros pene & omnigenos homines in hoc ueluti orbis umbilico uerberarent, alios angustissime sedẽtes: alios tumultuatim atq; uelitatim fluctuantes. Nam ex

illius ore micātia quasi fulgura opticos radios quo in unum coibant offendētia/uias se se findebant in ambas ambosq; suspicientium oculos nouo lumine partim & purgabant & roborabant: partim & caligantes reddebant & hebescentes. Ex eoq; alios asterisco obsignabāt: alios obelisco. Quorum pars magna theta: non nulli uero Tau in fronte diuinitus gerebant impressum. Illis igitur quos Obelus/ut diximus: iugulauerat: quot quot erant & obstructe quasi pessulo aures & cæcutientes omnino oculi ueluti luciosi & nuscitiosi euaserunt. Cæterum libet rem accuratius licet paucis exprimere: & eo quo cō spex imus ordine/summa saltem sequi fastigia rerū: ut ex iis quæ nos pingui (ut aiunt) minerua coniectamus: tui cui facilior ad inaccessā nobis Palladis arcē patet aditus/quasi ex diuina quadā cortina altiores diuinioresq; excudas sensus. Hi igitur simulac radiorum ueluti fulmine icti erant: cōtinuo quasi magicis carminibus humano deposito amiculo alii alias feras referebant/circeis ueluti poculis obrutescentes. Partim eni lupos: partim ursos: partim leones: partim tygres Apellis quodāmodo aut Praxitelis artificio exactius effingebāt. Strutos uero Camelos alii: Cameleōtas: Camelopardalisq;: Stelliōes/ nō pauci: phocas marinas: Crocodillosq; lachrymātes æmulabantur. Nōnulli miluos: qdā accipitres: coruos: cornicesq;: noctuas aliqui: bubōes: upupas & id genus animalia multa: multis quōdā numinibus dedicata. Hi ne agnoscerētur/aut Gigis anulū aut galeam (ut inquit Plato) infernalem frustra de

poscētes: relicta sua quisq; statione terga uertebāt: fugamq; arripiebant in lustra & latibula sua: atq; obiter seu laqueos offēdebant & casses: seu in densissimis tenebris deuii errabūdiq; huc illuc sine duce in prærupta montium ruebant: pessumq; nullo discrimine dabantur. Seu Gorgonis quasi inspecti oculo in abiectissimos lapides/ nullisq; urbis erigēdæ structuris accomodatos conuertebātur. Nouū est atq; inauditum q̄ elegāter illiusmodi (ut ita loquar) lucifugæ diuersas litterarum figuras diuersis ueluti scænis imitarentur. Alii enim litteram faciebant longam: quoniā trium litterarum deprehenderentur: Alii breuem dimidiatāq;: alii circularem semicircularēq; pro suo quisq; ingenio: pro suo uoto: pro suo merito effigiabant. Nec deerant qui detortam inuersāq;: qui rectam etiam: quam numeri principium dicunt/ effingerent: quasi lineares ductus: quasi orbiculares flexus: quasi triāgulares imitarētur anfractus: modo etiam rectos: modo obtusos: modo acutos/ quos in ipsis litterarum elementis recognoscimus/ angulos: prout cuiusq; libido rapiebat/ exadmussim exprimētes. Qui uero suis tantum genuinisq; uiribus freti sustinere se ignitos illos radios defluentibus quasi oculis/ posse iactabant: ac ueluti simiæ humanam præse ferre speciē conabantur: aut luminibus statim capti: & quasi talpæ ciliorū tegminibus obducti erant: aut tanq̄ haberent ceu lamiæ oculos exemptiles suis in theca reconditis noctuinos induebant. Aut prout uaria erant ocularia specilla/ quorū præsidio uteban

tur/ uaria:adulterata atq; deprauata concernebāt. Nō possū sine stomacho referre quot & stomacho abundent & felle/ quot sint: quibus quanto corda concrescunt: tanto decrescat robur animusq;. Quibus lyen una cum risu tumescit: quibus etiam una cum risu detrahitur: quibus pulmo animæ prælargus anhelat: letargum tamē merito patiētibus. Indignum erat spectare alios iuuenali quadam petulantia linguam exertantes: alios diras/ fronte obdurata satyrice & inhumaniter imprecātes. Alios elato quodam supercilio nō nullorum innocentiam debachantium more sugillantes. Vnguem alios deperditæ nequitiæ magistros mediū ostendentes/ quibus iecoris fibræ sanie quotidie tabescentes quotidie renascebantur. Occurrebāt mihi præterea plurimi in æde Aesculapia ut uidebantur: alii alio morbo laborātes. Hi cardiaco: illi intercute: aliqui regio: ischiadico alii: quidam itherico: nō nulli paralysi: mala scabie plures. Quos oēs iam iam Aesculapio non placato aut in rogum expositos/ aut in sarcophago absumptos tum deploratos omnino atq; emortuos: tum agētes adhuc animam & semiuiuos non expiatis non parētatis manibus/ humatos nescio an coaceruatos uix præ nimio dolore cōspeximus oculis una quodāmodo nictatione admotis amotisq;. Monstrosa sane res & portentosa: quā ut animus meminisse horret: sic & memorasse dolet. Quare iam ad eos/ quos ut dictum est supra/ stella ipsa decorauerat/ meliori auspicio ueniamus.

Asterisco igitur quasi diuini imperatoris sigillo ob signatis/liquefacta etiam ulixea cæra ab auribus de fluebat: & ab oculis caligo ac ueluti Diomedea illa nubes radiorum ui quasi Palladis medicamento de cidebat. Quam ob rem hoc pacto illustrati: ac præ stantioribus his duobus sensibus bene affectis/ qua si duobus disciplinæ sapientiæq; magistris eruditi/ nudato capite: supplicesq; tendentes ad sydera pal mas/in eminentissimum illum solem quasi aquili ni pulli primum figebant oculos. Quorum pupil lares lineæ instar pyramidum progredientes ac ue luti acutum angulum iunctim conficientes/ coele stis lucis centrum pertingebant: ex quo tanta uis lu minis undiq; emanauit: tanta splendoris copia cir cumfluxit: ut eo animati atq; edocti paulo post de tracto felle: palpitante cerebro: decrescente corde: & quod fere caret exemplo/etiam hirsuto: renes suc cincti/castoras imitati/ a solari illa luce quodãmo do tracti/ad eam nouellis quasi plumulis ultro de ferrentur: ibiq; tanquã in nido ambrosia nectareq; refecti elegantiores deinde robustioresq; declinarẽt ad homines: nunquã tamen lumina deflectentes a sole/sed retrouerso etiam uultu illum undecunq; fixis oculis obseruantes. Sol uero ipse illorum ra dios suscipiens atq; fouens uberiores quasi faces reddebat oratori. Mirum est quot & quanta myste ria huiuscemodi uerborum inuolucris contegan tur. Sed quid ego noctuas athenas? aut quid Sus mi neruã? Hoc igitur ordine radii illi diuini (captum

enim excedebant humanum) ab oratore in homi nes: ab hominibus in solem: ab eo rursus in orato rem fere triquetra figura certatim recurrentes: idq; rursus assiduis uicibus/ iisdemq; semper ardentiori bus repetentes/ perpetuo quodam diuini splendo ris calorisq; nexu illos inuicem copulabāt: copula tos uero ac tam felici circuitu gestientes: tam singu lari munere donatos cum incredibili lætitia afficie bant: tum inconcussa/ ut ita loquar/ constantia mu niebant: ac ab omni suspictione dissidii uindicabāt. Tales igitur uiri tam miris purgati modis: tam no uo clarescentes lumine: tam gratuita roborati forti tudine in prata quædā uirentia atq; florentia fluen to quodam irrigata descendere mihi æquo passu hi lariq; uultu uidebātur. Ac sumpto libertatis pileo urbem auspicato ingredi suam/ eamq; afflictam ad modum uendicare sibi: suscipere: adiuuare: diuinis ubiq; legibus tueri: altissimis iactis fundamentis in nouare totam integrareq; illam ad exemplar super næ hierusalem omnibus ad unum lineamentis effi giatis: indole in uniuersum apposita/ quantum fie ri potest/ non dissimili: Simili autem specie/ simili causa/ simili fine. Sed non datur adhuc/ non licet: non patiuntur scelera nostra archana hæc detegere/ uiuam hanc ostentare imaginem/ ac solidā eminen temq; coelestis ciuitatis effigiē cuiquā palā facere. Sed dabitur aliquando occasio/ ueniet aliquando tempus: quo hunc tam rarum/ quem concepimus/ partum mature nobis emittere non denegabitur: ac præsenti huic sæculo posteritatiq; omni consu

lentes/nostro quantuluscunq; sit/rudi pennicillo
ex archetypo illo a quo nobis (fateor) laborandũ
est/atq; omnino decidendum: rem.pub.ipsam de
pingemus deducemusq; exemplis cæteris emenda
tiorem. Quantum uero in præsens nostra euagari
potest oratio/quasdã ueluti crustas ueluti quisqui
lias colligam: ut aliquam adumbratam saltem ima
gunculam si non percipere omnino/at suspicari
pro tuo ingenio queas. Ea igitur primum ut de
more priscorum erat quasi amburbio lustrata adhi
bitæ suplicationes. Erepta non Marsiæ non liberi
simulachra: sed grande quoddam in aere suspen
sum gabalum uere libertatis symbolum. Huiusce
modi in illo ueluti cruore quodam inustis uer
bis: Ego constitutus sum rex super syon sanctum
uestrum. Erecta publica ædes ac basilica undiq; con
camerata/in cuius testudinis apice tres erant qua Mi
nerua Athenis: qua Olympius in ælide iupiter/ma
nu celati dicũtur diuini exculpti proceres tria/si rec
te memini/aurea præcepta ĩ publicum diuino quo
dãmodo ore proferentes. Sedens enĩ in throno gra
uior quidã princeps ab eo missus/qui parauit in iu
dicio thronum suum Cherubicus
ueluti Coripheus ex eius sententia qui sedet super
Cherubin. Seraphicus quasi tri
bunus ab eo qui ipsa charitas est/edoctus
E diuino sacrario depromentes/eam nobis uiuen
di rationem persuadere conabantur: in qua recte
quisque ut homo: rectius ut Angelus: rectissime
ut Deus degeret terris/a terrenis omnibus abdica

tus: & in hoc fæculento concretoq; corpore quasi lutea testa obductus: quasi cæco carcere clausus/ uitam quoad fieri potest/ imitaretur diuinā. Præterea diuinissimi Imperatoris a secretis heroem quēdam e coelo delapsum prædicabāt/ binas diuino nomine afferentem tabulas: æneam alteram albo linteolo: alterā auream coccineo panno obtectam: in illa adamantino radio fatum: in hac argenteo stilo leges ciuitatis scriptas diuinitus. Primam iam detectam: secundam non dum. Sed expectare aiebāt de coelo signum una uix peracta olympiade appariturum. Interea uero Samiū quendam/ cui nomen erat ipse: quem Apollinē: quem dei omnigenas uoces appellant/ candidatum/ capillatum/ aureo etiam foemore conspicuum/ nuper in eam ciuitatem ab inferis reuocatum præcepta multa priuatim in magna quondam græcia celebrata uel symbola potius ī uulgus iterū edidisse: quæ si acriori trutina pensitentur/ oracula omnino: si leuius & cutetenus hebescēti quasi specillo contrectentur portenta essē fatearis: eaq; in æs incisa ipsis parietibus/ ut de more fuit/ affixisse. Qualia hæc sunt. In ædem sacram cum ueneris orato ilico. Figuram ī primis & aram colito: figuram .s. denariorum trium. Nudis pedibus rem diuinā facito. Iuxta sacrificium ungues ne incidito. Ex itinere præter propositum templum ne adito. De mysteriis diuinis absq; lumine sileto. Super choenice ne sedeto. Oleo sedem ne tergito. Contra solem ne meito. Aduersum solem ne loquitor. Ab eo quod nigram caudam habet/ abstineto: terrestrium enim deorum est. Viam publicam declinato. Per semitas

ingreditor. Flantibus uentis ecchon adorato. Duorum maxime temporum curã habeto. Peregre profectus ne redito. Stramẽta semper colligata teneto. Oneratis onus superimponito: Deponẽtibus non adiicito. Inuia ne scindito. Dexteram nõ omnibus porrigito. Hirũdines intra domum ne admittito. Dei imaginem ĩ anulo ne circũferto. Vnguium criniumq; tuorum præsegmina ne cõmingito: sed ĩ ea despuito. Malacen herbã transferto: sed eam ne comedito. Speculum ad lucernã ne spectato. Dextrũ pedem priorem calciato. Sinistrũ priorem lauato. Salem apponito. Stateram ne transilito. Iugum ne transcendito. Coronam ne carpito. Recuruis unguibus aues ne alito. Per deos ne iurato. Ignem gladio ne scalpito/ne ue fodicato. Ensem acutũ deuitato. Cor ne edito. Cerebrum ne comedito. Panem ne frangito: Quæ ceciderũt ne tollito. Sanguinem saxis operito. Rubeum aliquod ne suscipito. Ollæ uestigium ĩ cinere turbato. Fabis abstineto. Cibum in scapham putridam ne ponito. Cantibus ad lyram utitor. Albis gallis parcito. Sacros pisces ne gustato. Animalis uuluam ne uorato. Cũ lecto surges/ stragula complicato: corporisq; uestigiũ cõfundito. Hæc & huiusmodi plura passim legebãtur ĩ triuiis: Sed non possum in hac re spaciari longius temporis angustiis & meo instituto circũscriptus. Non enumerabo igitur spirantia deorum simulachra. i. præclaros in ea ciuitate principes uiros. Non uiuentes heroum statuas imaginesq; sine exẽplo emendatissimas: non templa: non sacrificia: non quas opimas & pinguiores q̃ consuerant/ Astreæ mactabant ho

ſtias: non fortunam: fortunaſq; omnes percurram:
non imperia propagata: non īmortale nomen: non
gloriam nullo unq̄ tempore defuturam: Nō ea tan
dem quæ ueluti ex Iouis gremio ad nos deferūtur/
bona triplicia. In deſtinatum hæc omnia tempus
differam: his tantū contentus ellogiis: quæ in publi
ca concione/ubi popularia habebantur comitia/ua
riis litteris ex mēte Dauid fuerāt exarata. In primis
enim poſtibus/ꝙ neminem fugeret/propheticum
illud carmen prominebat maioribus quibuſdā no
tis latino deſcriptū calamo. Hæc eſt porta domini:
iuſti intrabūt in eā. Supra alterā uero ænea appende
bat lamina ſandicinis litterarū apicibus uariegata.
Dn̄e quis habitabit in tabernaculo tuo/ aut quis re
quieſcet in monte ſancto tuo? qui ingreditur ſine
macula & opatur iuſtitiā. Ad dexterā deinde ingre
dientium ſupra ſubſellia legebatur & illud tenuiſſi
mis ſegmentis uermiculatū. Deus iudiciū tuū regi
da: & iuſtitiam tuā filio regis. Ad leuam aūt in per
ſpicuo quodam (ut mihi uidebatur) achate aureis
guttis ſtellatū candicabat. Suſcipiāt mōtes pacē po
pulo/& colles iuſtitiā. Supra tribunal uero in frōte
pulcherrimo emblemate elaboratū reſpōſū: Educet
quaſi lumē iuſtitiā tuā dn̄s/& iudiciū tuū tanq̄ me
ridiē. In poſtico āt/rutilāte chryſolito īpreſſū. Orie
tur in diebus tuis iuſtitia & habūdātia pacis donec
auferatur luna. Faſtigium demum ſuſpiciētibus of
ferebatur optatiſſimum illud paruis quibuſdam cā
dētibus teſtulis quaſi litteris in gyrum circūductis/
ex eoq; tanq̄ e celo perpetuitatem pollicentibus. Po
nam in ſæculum ſæculi ſemen tuum /& thronum



tuum sicut dies coeli. Verum si humũ despexeris/ occurret tibi in pauimento maioribus crustis tessel latum illud Dauidis uerbum. Os iusti meditabitur sapiẽtiã/ & lingua eius loquetur iudicium. Lex dei eius in corde ipsius: & non supplantabũtur gressus eius. Sed hæc nimis multa: Nescio quomodo ꝓuehor uel iuitus: & quo magis ad calcem propero: eo magis repellor ad carceres. Sed quis ĩ hoc tam læto: tam uberi: tam florido campo nõ libentissime uagaretur? Quis ex hac tam rara tamq; absoluta re. p. discederet non inuitus? in qua nõ politicæ modo animos mollient/ afficientq; uirtutes. Nõ purgatoriæ modo ab ipsa nos eximent perturbationũ officina: molestiarumq; omnium seruitute emancipabunt: Sed purgati admodum & defecati animi quasi rerũ potiti & humanarum affectionum pene obliti ipsis exemplarium uestigiis toto pectore excubabunt: totis uiribus inhærescẽt. O foelicissimam illam diem: o beatissimos illos ciues/ quorum iam moenia surgunt: o patriam ab omnibus gẽtibus exoptandam: in qua Seraphicam charitatem: Cherubicam ueritatem: Thronicam æquitatem pro uirili quisq; sua certatim æmulabuntur: ĩ qua & imaginatio intelligẽtiæ: & intelligentia diuini luminis pedissequa se se regi suo addicent: in eiusq; sententiam tanq̃ fidelissimæ ancillæ iurabunt. Verum si uno uel argumento uel exemplo hanc tam absolute undiq; emergentem: tam mirifice se ad sydera extollentem/ rem. p. intueri tibi cordi est: Contemplare quæso eas/ quas ante ingẽtem illã & ab omnibus nationibus obte

ſtatam/inundationem/ Athenas Pallas condidit/ tum apud græcos unas: tũ apud ægyptios alteras: quas Plato ipſe non harũ modo/ ſed omniũ ciuitatum acerrimus ſcrutator: decem qui extãt libris/toto eſt pectore æmulatus. Verũ parum dico: nimis decido: inſulſe nimiũ paruis cõponere magna contendo. Sed uenit modo ĩ mentem illius: quam maximus ille propheta uidit/ciuitatis ſupnæ: ipſa eſt: ſi recte omnia circũſpicio omnino ipſa eſt. Vidit.n. ſanctam illam ciuitatem Ieruſalem nouam deſcentem de coelo: a deo paratam: ſicut ſponſam ornatã uiro ſuo/ in cuius lumine ambulabunt gẽtes: & reges terræ afferẽt gloriã ſuam & honorem in illam. Hæc ipſa eſt: ipſa inquã eſt: in qua noua facta ſunt omnia. In qua pueri omnes triuiatim uicatimq; ſenes diuino illo munere exultantes ſybillino quodãmodo afflati ſpũ ſuis qſq; modis ubiq; cõcinũt.

Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo.
Iam redit & uirgo: redeunt ſaturnia regna
Iam noua progenies coelo demittitur alto.

Sed iam obmuteſcat de re.p. noſtra: in qua tanq̃ in amoeniſſimis illis heſperidum ortis ſatis ſuperq; aberrauit: & ad ea quæ ſequuntur bono omine tranſeat oratio. His omnibus nõ ſine uehemẽti uariaq; perturbatione primum: mox non ſine maxima lætitia gaudioq; perſpectis forte fortuna in concordiam tuam oculos conuerto: quantũq; acie conſequi poſſum proſpiciẽs/uideor mihi uidere Cygnum quendam inter coliculos apii latitantem: Et quoniã argẽto perſonata facies erat/minus diſtincte & modulate canentem. Id mirãs ſubſtiti: radiumq; e concio

nantis ore ad eum: quasi sagittam ad scopulum de
stinatam diligentius obseruaui. Radius ille igneus
percutiebat quidem os eius: sed quoniam opertum
id erat: nihil præter calorem afferebat. Calor autem
quasi per utranq; aurem penetrans glutinum omne
atq; audiendi obicē liquefecit. adeoq; in intima exti
maq; diffusus ex assidua repcussione cōcaluit: adeoq;
efferbuit / ut laruulam illam argēteam quasi cærea
dissoluerit. Sicq; aperto capite detectaq; i frōte asteria
genuina luce candicāte ardebat quidem ipse deside
rio uidēdi: quem acceperat / e regia solis diuinitus
resonātem. Statimq; erupit in uocem illud prophe
ticum uario modulatu sæpius recinens Reuela ocu
los meos domine / & considerabo mirabilia de lege
tua. Quo semel atq; iterum repetito: ecce grandior
quidam atq; diuinior radius coruscat: ecce purgat
oculos: ecce illustrat: atq; adeo / ut perstrepētem an
serem / anser enim is erat / qui modo cygnus uide
batur / in uerum canorumq; olorē transformarit.
Qui ardoris luminisq; quasi duabus alis seipm ex
tollens: nouis undiq; radiis circūfusus: egregius cō
cionantis æmulator euolauit in solem: ibiq; omnia
lustrans: omnia circunspectans: omnia contemplās
cygnus ipse: uere cygnus in auguriis nautis gratissi
mus ales: Cygnus ipse periclitantibus omnibus op
tatissimus deuolauit i litus: preco diuinitatis: my
steriorum nuntius nouandorum: archanorum in
terpres: eo præclarius iocundioriq; uocis flexu diui
na promulgans: quo citius abiturus: Dulcia enim
defecta modulatur carmina lingua Cātator cygnus
funeris ipse sui. Tandēq; ad constitutam horam se

auctori cōditoriq; suo mactans/relictis plumis adhibita prius expiatione ī solarem regiam delatus est. Simeonis illud ellogium præcinēdo/diuinū quendam & inauditum hactenus/temperās nomon Siluaniq; melo lōge suauiorem. Nunc dimittis seruū tuum domine secundum uerbum tuum in pace.

Hæc ego animaduertens ac ex tanta rerū fantasmatumq; uarietate uix compos mentis existens/uana hæc omnia atq; irrita fore censui (possunt enim somno cōniuentes æstimatione rationeq; uti) neq; fidē uisis auctorandam duxi: nisi (quod est de more Romanorum in auguriis) secunda firmarēt: & quæ attestata apud priscos dicebantur/priora attestarētur.

Qua de re Maronianos illos uersus/qui licet lōge antea exciderant: tamen nescio quo pacto mihi sese ultro obtulerūt/nō sine maximo stupore protuli.

Iupiter omnipotēs precibus si flecteris ullis
Aspice nos: hoc tantū & si pietate meremur
Da deinde auxilium pater/atq; omina firma.

Quibus dictis/extēplo apparuit oculis nostris uermiculus quidā ex ossibus medullisq; parentis in arabia/ut dicebant/ortus: indeq; pullus effectus iusta primū patri reddidit: tum nidum ipsum in solis urbem detulit/in araq; deposuit. Cum huius alitis uita magni fieri cōuersio anni ꝓdebatur/plurimarūq; significationes tempestatū syderūq; indicari eo præsertim die quo solare numē arietis domicilium templūq; ītrarit & collustrarit. Hāc ego uidi auē in ipsa solis regia excubātē: in leonis capite renidētē: rostro suo nūc rugientis feræ rictū morsicātē: nūc blāditiis quibusdā ac ueluti exobsculationibus demulcētē:

nunc mellitis (ut ita dicam) offulis depascentem: Humi tamen aliquãdo prostratam aduersum solẽ intueri contemplariq; ex eo penitissima quæq; archana / & in ipsis penetralibus gestire mirum ĩ modũ & conquiescere. E regione uero sex / ni me fallit numerus / mihi uisæ sunt aquilæ: aquilarum sex genera / ut ex magnitudinis colorisq; diuersitate conieci / referentes. Omnes hæ / unaquæq; pro suo captu / in ipsum coelestis lucis solem certatim dirigebant intuitum. Sed cæteræ nimio splẽdoris appulsu allucinatæ deficiebant. Vna tantũ ad gagatem lapidem oculos expians ut clarius firmiusq; solem ipsum cõtueretur / se nubiũ tenus altissime erexit. Hæc alis euecta totum illud spatium qua pluitur & ningitur / ultra quod cacumẽ nec fulmini nec fulguri locus est / in ipso / ut ita dicam / solo etheris & fastigio hyemis aliquantisper sedem posuit. Quo loco refocillata ales / collectis dein in præcordia uiribus / ĩdefesso quodãmodo alarum remigio / passis (ut aiunt) uelis ĩ solis regiam ĩ phoenicis nidũ se se extulit: Vbi ambæ simul iunctæ identidemq; cocuntes innumeros pene pullos phoeniceum simul aquilinũq; ingeniũ exprimentes pepererunt: Sparsimq; per uniuersum orbem delegarunt. Qui & ipsi nutu clementi uelificatas alas quo destinabantur conuertentes / penduliq; superne circũtuentes ad salutarem predam uice fulminis corruebãt: eamq; alacres maximo cũ plausu acclamationeq; feliciter reportabãt in solem.

In hac igitur tã noua: tam abstrusa diuersarũ / ut ita loquar / silua rerum diutius uersatus: tantaq; illarũ magnitudine tanq̃ fluctu obrutus: ac totis animi

uiribus destitutus/tandẽ ad me rediens nihil mihi reliqui faciundum putaui: donec quæ i hac ueluti mixta mysticaq; cõmoedia occupato sensuum principio obscurius confusiusq; conceperam: sub nube saltem nõ thracio/ut dicitur/cõmento: sed recta ratione interpretrarer. Statimq;/quod nõ solum christiana sed omniũ nationũ heresis usurpat/ quodq; præsentissimum ĩ omni difficultate remediũ est/ad implorandum diuinũ auxilium opemq; ĩ tantis tenebris petendam me cõuerti: Seuerinũ suis etiã carminibus imitatus.

Da pater augustam menti conscendere sedem:
Da fontem lustrare boni: da luce reperta
In te conspicuos animi defigere uisus.
Disiice terrenæ nebulas & pondera molis:
Atq; tuo splẽdore mica. Hæc fere dixerã nõ sũmis ut aiũt/ labiis enatantia: sed ab imo pectore reuocata: Cũ subito ex illo ueluti ĩterlimitio leniter deuehor in planitiem quandam suppositoq; thorulo discumbentium more consideo: statimq; recluso quacancer Mercurii cliens oritur coelo: auis illa martia paruula quidem: sed in auspiciis(quod põtificales apud Romanos ĩdicant libri) ꝓculdubio magna: cui Saturni filium nomen dedisse ferũt/ex aula illa coelesti ad nos circũuolitat: applaudit: subsultat: adulaturq; quasi salutans. Illicq; in patula quadã cupressu subsidẽs/ad cuius umbram degebant oẽs/ tam grãdi tãq; articulata uoce nostris auribus intonuit/ut si eã nõ uideas/esse negabis auẽ. Vtinam inquit daretur tibi facultas / ut mecum pariter alarũ quasi adminiculo ĩ sublimem illum thronum per

uolares: ubi archana hæc: ubi mysteria: ubi certissi
ma quotidie panduntur oracula. Videres enim
uno luminum ictu: uno intuitu uniuersi seriem:
diuinæ prouidentiæ leges: quas & in cœlo fatum:
& in terra fortunam temere appellatis, & quasi in li
bro quodam sydereo omnium sæculorum mensu
ram ordinemq́: ac omnium rationem idearum in
diuina quodammodo idea perspicui tanquam spe
culi centro prospiceres: omniumq́ merita beatorũ
in illa ueluti Aristophanis aut Christolai libra ap
pensa examinataq́ internosceres. Videres quid tua
ista motoria portẽdat uel tragœdia uel mystica po
tius comoedia: quæ personæ: qui actus: quis finis.
Videres imaginem tuorum temporum, tuæ ciuita
tis progressum: atq́ uniuersæ istius futuræ calamita
tis instantisq́ procellæ exitum euentumq́ quasi in
picta tabella ipsis oculis usurpares. Sed non est di
uinæ iustitiæ sanctum dare canibus, neq́ puram an
gelorum escam præbere impuris hominibus ligu
riendam: sed hiis tantum quos æquus amauit Iu
piter: aut ardens euexit ad æthera uirtus. Tibi uero
Nesi tuis adductus precibus degustatiunculam sal
tem aliquam non denegauit deus ille deorum: qua
mens aliquando tua ueluti toto se se proluat au
ro. Quam ob rem quemadmodum mortales Re
ges coruos interdum & psitacos nuntios mittunt
humana uerba conantes. Sic immortalis ille, quem
mortalis nemo uidit unquam, imperator coelestis,
misit me picum non sine ratione picum, si auis in
genium auguriumq́ aduertes: misit me inquam

ad te non omnia quæ tibi tam uario ſomnio conti
gerunt/enarraturum:neq; enim adhuc tēpus poſtu
lat:neq; tibi foret operepretium:ſed allaturum po
tius quandam ueluti iſagogen ad aperiendum ali
qua ex parte ueritatis aditum:quam uere philoſo
phus ille (ſibi præſertim) in horrendo antro latita
re profitebatur:et cygnum illum quem modo ui
diſti per acliue illud iugum uolitare in ſolem:Cy
gnum inq̄ illū/oſtēdebat aūt quaſi digito teipſum
ex fratre nepotem ſubito illic diuino exortum mu
nere/qui ad nos celeri gradu ꝓperat: ad hoc fatale
proeliū excitaturū:ad hāc militiā:a qua ego diſceſſi
pene miles nutu Dei aduocaturum: eoq; tandem
auſpicato ducturum:ubi longarum eſt meta uiaꝝ.
Vides ne igitur/ut mandata exequar/ſublimem il
lam ſtellam: conſpicuam ſemper/occiduam nun
quā:quam uos arcton appellatis: ea genuina qua
dam ui magnetem trahit/ſuſpenditq;. Magnes ue
ro ſimili inſtinctu ferrum ſubmouet/ſibiq; aſciſcit.
Non ſecus diuinarum ſtellarum fons ipſe diuinus
ſacerdotem ipſum ac prophetam ſuis radiis ad ſeſe
erigit deducitq;. Non ſecus ſacerdos prophetaq;
Deo plenus/ferreos populos:hoc eſt/indomitos/
efferatos/immanes ſibi copulat/unitq; ſemper,no
uo quotidie lumine recreatus. Vides ne præterea
ſolem illum coeleſtem? Queadmodum ipſe ab
omni ſuo puncto in omne quodammodo punctū
perſpicui corporis/lumen infundit. Corpus uero
perſpicuum/quēadmodū mutuatū a ſole lumē/ab
omni quoq; ſuo pūcto ſuſceptū lumē/quantū in ſe

est/in suscipientem influit. Sic & sacerdos ipse/dei minister/hominum dux diuinos suscipit radios/di uina mysteria christianis cæteris pro uirili sua imo pro nutu Dei tanq̃ ex adyto traditurus. Quæ quo tidie tanto præstantiora concipit/quãto purgatior est: tanto diuiniora parturit/quanto sapientior: tan to salubriora e diuino penu depromit/quãto Deo propinquior antiquiorq;. Tanto autẽ Deo propin quior/quanto magis uos omnibus uelis equisq; ad meliorem uiuendi frugem conuertit: Christianam semp fidem/quod sua potissimũ interest/alioquin periclitantem/a qualibet iniuria utiq; asserẽs. Hunc igitur sacerdotem Dei ministrũ/diuinorũ interpre trem proculdubio credas (neq; uana fides) eum esse quem uidisti in ipso rerum humanarum confinio/ ardentissimo illo solari lumine circũseptum: quem audisti extinctam fere ueritatis lucem toto pectore excitantem atq; adeo promouẽtẽ. Quem fama est & uero uerior/in urbẽ uestram quasi Italiæ centrũ diuinitus destinatũ. Vnde christianæ fidei ueritas: unde diuinitatis lumen emanare possit uberius. Eum esse inq̃/quem tu non modo de facie nosti: sed quem quotidie alloqueris: quotidie magis magisq; examinas: Dei sacerdotem: Dei seruum: Dei mini strum: Dei nuntium. Cuius ego uitæ sanctimoniã: doctrinam: sapientiam: relligionem: diuinationẽ: aliaq; plura: quæ in eo tam excellũt/ut nescias quæ cui præstet/siqua modo præstat/& non unaquæq; omnis in se numeros habet/uirtutum genera: maio ribus quasi theatris recenserẽ: nisi sapientissimi quip pe ac non despicabili auctoritate uiri/& ob singula

rem probitatem multiplicemq̨ disciplinam nunq̃ satis laudati/fusius omnia latiusq̨ prædicasset. Verumenimuero ne delegato mihi muneri deesse uidear: neue meum in colenda amicitia nostra officium desideres: ne ue cognationi nostræ Nepos carissime quãtum in me est non faciam satis: perstringam breuibus quæ occurrent: & ut quæq̨ in mentem uenient/ita in confusam quodãmodo siluam congerã tumultuatim ac desultorio/ut ita loquar/sermone.

¶ Ferrariensis igitur Socrates philosophiam quæ de moribus agit/diutius exulantem: reuocauit in urbem ciuitatiq̨ restituit: uitiorum castigator acerrimus: uirtutum laudator grauissimus. Vir in iudicando integer: in docendo facilis: in disputando subtilis: in scribendo grauis: in contemplando lynceus: in uaticinando diuinus. Non popularis auræ cupidus: non rumusculorum sectator. Gloriam putat/apud homines esse ingloriũ: præfecturas etiã religiosorũ quasi onus æthna grauius abhominatur. Inustas sibi immerito calumnias nõ æquo solum/sed læto animo fert. Iniurias non modo non ulciscitur: sed obliuiscitur: non modo obliuiscitur: sed præmiis prosequitur. Omnium hominum nihilo secius eorum qui de pomeriis & triuiis oblati: de lapide empti: de sphæristerio quodãmodo sũpti dicũtur q̃ eorũ qui de regno uocati: de aula pricipali asciti: de philosophorum scholis delecti sunt: amicissimus. Amicorum postremi æque ac primi ordinis omnium studiosissimus. Inimicorum uel in cupedinis foro & in ganeis pernoctantium: ex diuino

edicto amantissimus. Solitudinē amat: nunq̄ tamē
minus solus q̄ cum solus: neq; minus ex eo apud se
habitans: neq; magis ex eo extra se ambiēs: q apud
populū iussu dei concionetur. Christianæ uitæ exē
plar: quā prædicat esse benefacere & mala pati. Sed
quid plura de moribus? Christi est ī omnibus æmu
lator egregius: ī cuius (ut ita loquar) palestra nunq̄
ut dicitur, extra chorum saltare deprehensus est. q̄
uero in orando sit uehemēs: in monēdo efficax: in
consulendo liber: in agendo prudens. Testis est res
p. uestra Nesi: quæ, si uerum fatear, tantum illi de
bet: quantū ulla tempestate ne alteri quidem. Scio
me hoc loco ridendi deridendiq; ansā præbere mul
tis: quos & mente & pedibus in eā iam dudū cūctis
bonorum suffragiis explosā sentētiā isse nouimus.
Tum q nulla possit ad nos rerū uestrarū cognitio p
uenire, cum tēporū omniū gesta uno intuitu: uno
speculo: pro nostro arbitrio diuino in lumine con
templemur: Tum q nos hoc nostro sermone secta
ri potius studia partium q̄ ueritatē ipsam arbitren
tur: cum tanta non intelligāt: quāta de hoc homi
ne in rem .p. uestram extare promerita uel cōmini
scimur, ut ipsi ferunt, uel ut nos, & pbamus & præ
dicamus. Hinc rident deridentq;. Hic detortis nu
tibus consusurrāt: subsannat: cachinātur. Sed heu
miseri. Nō uident interdiu noctuæ, quia allucinan
tur: non uident bubones, quia caligant: non uidēt
ululæ, quia cæcutiunt. O miseras hominū mētes,
O pectora cæca. Veh uobis qui non uidetis: ueh uo
bis qui ridetis ridiculi, ad uos enī se nunc uertit ora
tio, quorū risus utinam paulo post uel sardonicus

non sit: uel sub persona fletus/ uel etiam in propatulo. Quid & uos toruis inspicitis oculis inuidi? Quid Rhinocerotis contrahitis nasum increduli? Quid helleboro dicitis opus est sapiẽtes? quorum nihil est supercilio superbius: cur nõ potius mithridatico antidoto? Resipiscite quæso omẽs: Resipiscite si uiri estis: & quod coelites ipsi fatentur/ uos homuntiones/ quod magno uestro beneficio experti estis/ nõ diffitemini. Non ne iã solo adæquata ubrs foret? non ne (liqueat saltem inter nos) non ne euersa ciuitas: nisi fatales hic faces amouisset: nisi uos supinos adhuc & recinctos ex eorum faucibus (quorũ crudelitas uix uestro sanguine poterat expleri) eduxisset incolumes. Actum iam esset de uobis conclamatum: deploratum omnino: nisi hic: quem uos impudenter nimium æquum seianum appellatis/ libertatem uestram reuocasset ab inferis. Reclamẽt aduersarii quantumlibet: exsibilẽt tepidi: euomãt uirus serpentes: tamen ita est: in promptu res est: testimonio non eget. Dabitis/ & in pernitiem uestrã dabitis aliquando manus obtrectatores. Dabitis & uos herbam phariseorum superbum genus atq; scribarum. Quis enim nescit hũc districtos iam ad cædem ciuium gladios/ euaginatos iam in uestrum iugulum barbarorũ enses/ euocato iam tutelari Deo sua tm̃ opera cõpressisse. Quis nescit instãtẽ iterum atq; iminentẽ fluitãti nauiculæ uestræ ꝓcellam: hũc modo ĩ puppi sedentẽ: hoc est incontẽplatione ipsa sedatis sensibus exorantẽ: modo per transtra discursitãtem: idest actuosa & oꝑosa munia obeuntẽ a ue

ſtra ciuitate pepuliſſe. Non deerant qui imperium licitari/qui auctionari contenderent. Mihi credite: hæc omnia anteq̃ eſſent in eo ĩ quo ſemꝑ ſũt omnia ſtudioſius ſpeculãti: Non deerãt/proh ſcelus/tanta ne uos tenet obliuio/tanta caligo: Non deerant qui ueſtram promercari libertatem & quaſi nũdinari cu rarent: Et tamen hic rem tam ſapienter in uerbo do mini compoſuit: tam præclaram operam nauauit: ut cum illis ad uotum non ſucceſſerit/ partim ad cõ mune bonum publicamq; ſalutem totis ſe uiribus conuerterint: partim quaſi auro toloſano ditati ĩter breuia & ſyrtes errabundi iam iam facturi non iactu ram modo: ſed naufragium uideãtur. Accipite hæc quæſo æquis auribus/ac boni conſulite. Vero ſunt ueriora. Luce ſunt clariora. Hic dein diſcordias di remit: urbem ſedauit: ciuilem pacem cõſtituit: obli uionis legẽ ut apud athenas Traſibulus/ obtinuit. Prouocationes ad populum diuino etiã iuſſu mul tis reflantibus & ĩ medios ſæpe fluctus reiicientibus perſuaſit. Hic patriam ſuo reſtituit filio: populo. ſ. ciuilemq; adminiſtrationẽ ciuitas uniuerſa recepit. Hæc qui negat/ſui compos nõ eſt. Hæc qui dãnat/ ex libidine damnat/non ratione. Prætereo quantos progreſſus fecerit illius opera omnis iuuẽtus: omnis ætas: omnis ſexus: omnis populus: Prætereo quæ le ges: quæ decreta: quæ plebiſcita ſancita ſũt illius cõ ſilio ad tuendam rem. p. ad honeſtãdum imperiũ: ad conſeruandam libertatem. Quantas leges ĩmor talis Deus ſtatuit populus huius uiri ſuaſu? ut abo lerentur inimicitiæ: ut uitia omnia penitus auellerẽ tur. Quãtas ꝓpoſuit ſenatus? ut extirparẽtur cõſpi

rationes: ut iuuenes mulieresq; melius informaren tur: quibus qui refragrantur preterq̃ q̄ manus affe runt patriæ: multis se mācipāt calamitatibus. Dies me deficiat si uelim singillatim quæ ipse diuino & numine & nomine gesserit / recensere. Nosti tu Ne pos Nosti tu Nesi qui experti estis: q̃ sit improuida q̃q; lubrica adolescentiū ætas: & q̃ facile malis arti bus impingat: quæ flagitia ipsa non minus ad se se trahit / q̃ / ut græcum est uerbū / cæcias nubes. Et ta men ita repressit: ita cursum ihibuit eius ætatis: ut non singulis diebus lineā duxerint: sed quod est in credibile dictu / Atheniensem Polemonem imitati una tātum aut altera oratione duos illos / quos Pla to appellat contrarios atq; amentes consiliarios uo luptatem. s. atq; dolorem in continentiam constan tiamq; conuerterint. Id tam salutare uobis: q̃ quod tātum a deo est. Id tā Deo gratumq̃ quod Deo gra tissimum exhiberi potest sacrificium. Simplicitas ue ro ipsa cordis: in qua rudiméta omnia & incunabū la uirtutis reperiūtur / primarius illi panis erat: Sim plicitas itē corporis cultusq; / nobis adhuc aura ue scētibus / secūdarius omnino ac cibarius. Quotidie đ illis agebat: quotidie nos ad tutissimū illud paup tatis asylū tanta interdū orationis ubertate: tāto q̄si uerborū torrente rapiebat: ut uel Codro ipsi uel ho merico Hiro quandoq; inuiserim. Iā illa stoicorū apathia & indolentia nō paucis meo quoq; tēpore familiaris erat. Iā plures quorū ego ut pīceps fuerā / ita grauiores dedi poenas. Iā plures inq̃ paulo ante uel effeminata quadā mollitia liquescentes / ad mar tyriū paulo post / si opus fuerit / accīcti. Plures qui

apis aculeum sine clamore ferre non poterant/cu
piunt modo uel Phalaridis tauro tanq̃ aurum igni
examinari. Mirũ est quantã habeat energiam cõcio
nantis uox: quantũ robur: quãtos neruos. Non ta
men ex eo q̃ unguentatus niteat sermo: q̃ lucer
nam oleat: non ex eo q̃ luxuriet: q̃ lasciuiat: q̃ ue
luti comatus insurgat. Quid enim affert phalerata
oratio: nisi lenocinium? Quid ephippiatus sermo
nisi ĩposturã? Quid uermiculata dictio & uariis (ut
ita dicam) tessellis uariegata: nisi insidias: nisi presti
gia? Decipiũt p̃sæpe: circũueniunt/ mentiũtur: im
ponuntq; etiã popello personatæ quædam (ut sic lo
quar) uociferationes & turgidæ illæ concrepãtibus
buccis ac ampullosæ p̃clamationes insciã plebecu
lam & plus cæteris q̃ sibi fidentẽ blandiẽdo ludifi
cant. Tria sunt quæ fidẽ conciliãt: quæ p̃suadent.
Vita dicentis: orationis sobrietas: rei ueritas. Quis
eñi ferat adolescẽtẽ illũ/ut est apud Plutarchum/
libet enim interdum uti alienis exemplis/in senatu
de honestate & cõtinentia uerba facientẽ: coenantẽ
ut Crassus: ædificantem ut Lucullus: loquentem
uobis ut Cato? Quis ferat censores illos pulpita
rios: quorum cum uita mirabiliter pugnat oratio?
In hoc autem uiro tria hæc ita cohærent: ita natiua
quadam iunctura connectũtur: ita genuina quadã
cultura simul coalescunt: ut in illo uitæ sanctimo
niam: sermonis castitatem: rei ueritatem uno etiã
foetu ortas esse nemo sit sanæ mẽtis qui eat inficias.
Est igitur illi fuitq; semper non fucatus sermo &
medicatus: sed purus simplexq;: nõ lucubratus &
affectatus: Sed tamen non neglectus & sobrius: nõ

tria fidem cõciliant

uerbosus & laciniosus/ sed modicus/ atq; si opus fuerit/etiam laconicus: non elaboratus/sed castus: sed pudicus: sed prætextus. Quo genere & ueritatis lumen clarius elucescit/ & persuasio ipsa tenacius ĩ hærescit. Hinc Alcibiadem nuda illa Socratis q̃ Periclis luculenta oratio magis mouit atq; affecit. Nitor p̃sæpe uestris exẽplis .i. a uobis iã diu in usũ uel abusũ potius receptis: nõ q nostra infirma sint/ minusq; habeant ponderis: Sed q ægrotantibus uobis minus iocunda sint: quæ suopte ingenio sunt iocũdissima. Vtor etiam ĩterdum uobiscum præsertim loquens uestro sermone: ut uestro saltem sermone ad nostros uos alliciam mores: quos si quando imbibetis/ ac constanti quadam affectione prosequemini: quãtum ĩ præsens delectant ista uestratia: tantam tunc nauseam concitabunt. Sed nimis iam euagati sumus: eo unde deflexit/ redeat oratio. Sunt igitnr illi uerba non ueluti calamistro cincinnata: sed animata: flammea: aculeata: ab imo pectore eruta: ad imum spiritum penetrantia. Hominem ipsum quo uult admirabili quadam ui & uolentem ducentia & nolentem trahentia. Et quid mirum? insidet eius labiis persuasionis Dea Pitho illa. i. sic enim libet interpretrari/ flamma illa diuina toto pectore ardens/ ac igneus ille uigor coelestis: quo uiuus est sermo Dei atq; efficax: quo penetrabilior est omni gladio ancipiti. Admirabilem uero scientiam multiplicemq; philosophiam: siue eam quæ de moribus est: siue quæ a natura emanauit: siue eam/ quæ quasi in manu habet uniuersum

coelum: siue eam: quæ uniuersum orbem radio me
tita est: ita tenet: ita possidet: ut & i lycio antistes:
& in academia nõ cãdidatus modo & initiatus/ sed
etiam professus esse uideatur: altissimos sæpe Plato
nis Plotiniq; sensus exquirens. Et in astrologia ma
thesiq; omni nihil probet quod alii ĩprobent: nihil
improbet quod alii probẽt. Testis ego esse possum
qui in his/ quos parturiens obii contra astrologos
libris/ eius sæpe sum & cõsilio & iudicio adiutus.
Diuinorum aũt scientia qua ueluti aurea quadam
cathena in coelũ trahimur/ pro ancilla utitur. Chri
stiana uero theologia: qua ueluti supremo schalarũ
Iacob gradu in coelũ ascendimus/ pro domina atq;
magistra. Relinquo ius imperatoriũ. Relinquo põ
tificium/ in quo quantũ excellat: quantũq; in ea re
omnibus prosit: tuum Nesi testimoniũ citamus:
q habere illud ĩ ore sæpe solebas. Ille solus sapit: cæ
teri uelut umbræ uagantur: quiq; ĩgenue fatebaris
debere te quidem multis/ sed hoc plus nemini. Ve
rum quid plura de doctrina scientiaq; sua: quæ ĩ eo
tam mirabiliter adoleuit: ut nihil iam omnino ne
scire: & tamẽ tanta cura studioq; est/ ut nihil omni
no scire uideatur. Nõ decet mẽtiri hominẽ quenq̃:
longe minus christianæ relligionis professorẽ. Extra
omnẽ autem mendacii suspictionẽ est dei nuntius.
Nihil itaq; addo: nihil eleuo: nihil amplifico. De
sacris uero litteris/ quæ suæ partes sũt/ melius est ta
cere q̃ pauca dicere. Hæc est sua arena: suum regnũ:
omnia tenet: omnia sensa: plura etiam q̃ quæ hacte
nus elicita sunt/ callet. Feci ego sæpius periculum/
neq; sine maxima admiratione. Ita. n. aperuit nobis

scripturas ut euãgelicum illum peregrinum/quantum sibi fas erat/ad normã imitaretur: unde cor nostrum gliscebat & exardebat in nobis. Sacros oẽs codices: sacra uolumina: sacras paginas: ita quotidie scrutatur: ita medullitus interpretratur/ut si uera est Cabala: quã nos ꝓ ingenii nostri facultate a perpetuæ obliuiõis iniuria asseruimus/ei eueniat quod Cabalistis: ꝙ omnem. s. scientiam: omem doctrinã etiam futurorum inde possit aucupari. Scribit præterea soluta oratiõe pluscula: scribit multa diuino dictante numine uel mihi uni uel paucis omnino nota ad destinatum tempus editurus ĩ lucẽ. Scribit metro diuinas odas & id genus alia: ut equis/qd dicitur/uelisqꝫ generi cõsulat christiano. Quæ oĩa tam eleganter/tam erudite præstat: ut cuncta in eo ueluti singula/summa esse fatearis. Suos uero cõmilitones: qui eo duce diuino stipendio prœliantur/quotidie exercet nõ modo statis/sed subcisiuis etiã horis: oratione: meditatione: lectione: studiis disciplinisqꝫ omnibus: ut nulla sit ex earum orbe quæ ciclicæ uocantur/in qua præstãtes nõ adhibuerit præceptores. Sunt qui operam hebraicis impendunt litteris: qui græcas callent: qui latinas una cum lacte matris suxisse uidentur. Sunt qui uniuersas scripturas/alii aliter pro suo captu irruminantur. Tyrones primo ac iuniores eas imbibunt: mox litterarios exprimunt sensus. Robustiores aũt ac sacerdotio insigniti altiores paulo & tropologicos. Veterani allegoricos: Emeriti anagogicos e cœlesti sinu decerpũt atqꝫ enarrãt. Ipse ita corrigit/ut eum ament: ita laudat/ut admirentur: ita docet/ut docti antea nihil

se scisse fateantur. Ita hortatur omnes ad omnia/ut currẽtibus ipsis ea adhibeat calcaria: quibus accẽsi/ dũ unũ sequuntur/assequãtur & oĩa. His armis in structi/ea uita purgati atq; affecti ꝓmissum sibi cœli tus lumẽ expectant atq; paraclitum: quo magistro proelia cũ hostibus ineant: manus cõserãt: uictoriã cõparẽt: prædã reportent: atq; nullo diruti ære: sed quotidie ꝓcedente descriptũ sibi talẽtũ promerean tur æternum. Sed quid? hoĩs hæc sunt: q̃uis rara/ni groq; simillima cygno/nõ tñ supra conditionẽ ui resq; humanas. Non hæc mirari/ sed probare: sed laudare: sed honeste prosequi soletis. Illud est su pra uos: illud est sine controuersia diuinum: q̄ ipse quasi altera phoenix ad regiam diuini solis ꝑuolat: indeq; uobis non modo oẽs oĩs generis uirtutes: non modo quæ Lya & Martha/quæ Rachel & Ma ria e diuinis fontibus hauserunt/in uulgus protu lit. Sed ex ipsa diuina cortina multa uobis promul gauit archana: ex ipsa altissima abysso: ex ipsa inac cessa luce/lucem uobis attulit futurorum. Cogita tionesq; aliquando hominum etiam in abditissima mente recõditas: quod tantum Dei est/lynceis ocu lis introspicit: ac intus & in cute noscit: & si res ita fert / fraternis etiam monitis reprehendit. Hoc nõ nisi Deo geniti potuere. Accipio in hoc merito fidẽ a uobis: tum quoniam expertus loquor: tum q̄ ex tra omnem culpæ aleam positus seducere aliquem aut circũuenire nec uolo nec possum. Esset præterea nefas non testari illud e coelo æditum: quod publi ce tam frequenti tamq; secundo populo renuntia uit: picũ uidelicet ipsum e cuius ore uerissima hæc

fluit oratio/post suum a uobis discessum/purgari
primum/plecti/expiari: expiatum uero paulo post
ac ut ita dicam/defecatũ ad superos euolaturum.
Sed nolo esse lõgior ĩ re diuina. Diuinorũ interpres
Beniuenus nõ minus uere q̃ docte in eo/quod nuper
edidit opusculo/locupletissimus testis est. Et cõsta
tissima illa quæ indies altius agit radices/fama decla
rat q̃ apertum habeat aditum ad diuina: quantũq;
sibi pateat domus omnipotẽtis olympi. Et mirabi
tur quispiam/si christianã fidem insolubilibus infi
nitisq; argumentis e diuino illo sacrario depromp
tis/tam aperto ostendit uero esse ueriorem/ut quæ
etiam sensui patent: oculisq; nostris subiecta sunt:
quæq; prima a philosophis principia nominantur/
minus sint oĩo uera. Extat eius aureus liber de fide
ignea dictatus lĩgua: igneo descriptus calamo. Hũc
nocturna uersate manu: uersate diurna. Hic ieiunia
sæpe edicit: mores renouat: p̃ces effũdit: ad oĩa pieta
tis charitatisq; officia exhortatur. Hic illud e coelo
descẽdit Fidẽ tene: insta orõnibus: patientia robora
re. Vnũ relĩquo cõsulto: unũ prudẽs sciẽsq; p̃tereo
feruorẽ. s. ip̃m/ardorẽq; ĩ deũ: in deũ inq̃ crucis pati
bulo supra q̃ excogitari põt/de humano genere bñ
merẽtẽ/in deũ crucifixũ: cui se uix ex ephœbis egres
sum addixerat: deuouerat: dedicauerat. Quæ enĩ
est tãta dicẽdi uis: quod tã diuinũ eloquẽtiæ flumẽ
referre põt quæ uidimus: quæ exp̃ti sumus. Excerp
tam. s. aliq̃n e diuino pectore charitatis flãmã atq;
humano cordi affixam. Quotiens uidimus eũ præ
nimio gemitu liquescere? Quotiens uidimus eum
ĩ lachrymas resolui? & quasi uerũ holocaustum di

uino ardore cõburi? Quotiés uidimus eũ totis am
plexibus/ totis artubus ad crucé reuolui / diuinos
pedes deosculari/ & a carceribus ad calcẽ lentam atq;
sæuissimam domini necẽ inexcogitatis hactenus acu
leis enarrare: diuinis undiq; sparsimq; pullulãtibus
mysteriis: Quã multiplex pathos mouet ĩmortalis
deus? quos affectus? quantũ terroris incutit? quantũ
amoris exprimit? quantũ moeroris inserit? Ferreus
est: lapideus ẽ: e caucaso omnino/ e silice natus: qui
non eum sequitur: nõ eum pro uirili assequitur. Vi
dimus illum & uiderunt omnes prænimio dolore
tot ad celum preces effundere: tanto amoris impetu
ferri: tanta contẽtione proclamãdo agitari: ut uoce
simul & anima iam destitutũ esse putares. Quid igi
tur? Quæritis ne uirum bonũ? ad hũc accedite: qui
se omnibus semper præstitit bonitatis exemplar: cu
ius aures earum uirtutũ (ut ita loquar) chorus: quæ
uno frugalitatis nomine continẽtur/ psallẽtiũ tripu
diantiumq; demulcet. Quæritis oratorẽ? adest qui
omnes christiani oratoris partes adeptus est: Quæri
ritis sapiẽtem? ecce qui omnes sapientiæ numeros ad
impleuit: quem philosophorũ Deum: quẽ diuino
rum philosophum ut Platonem Cicero/ sic ego ap
pellare consuerã. Quæritis prophetã? habetis hunc
cum in prædicẽdis futuris ueridicũ: tum in enarran
dis prophetis/ omnibus locis/ omibus sæculis admi
randum. Huius sunt axiomata: huius proloquia:
non minus uera q̃ quæ apud sagram/ ut est in ueteri
prouerbio: imo q̃ quæ apud aram. Italiam barbaro
rum depopulatione deuastandã: Florẽtinum impe
rium ambitione: perfidia: incõstantiaq; ciuium peri

Heu [illegible]

clitaturū aliquādiu: tandem cū opulētiæ/potētiæ/ & gloriæ incremēto nomen uiresq; suas ꝓpagaturū. Romam ad īteritum usq; exterorum illuuie detru dendam. Ecclesiam ab īteritu diuina ope uindican dam atq; adeo illustrādam. Maumethanos ad chri stianam fidem uobis adhuc uiuētibus ascíscendos. Ouile tādem omniū unū: pastorē unū. Hæc & hu iusmodi plura passim protestatur fore q̄primū. Vn de illud suū. Gladius domini super terram cito & uelociter. Atq; item illud: Spiritus domini super terram copiose & abūdanter. Hæc ubiq; pollicetur sui etiam capitis animæq; periculo. Magna profecto hæc & uestris sæculis phœnice rariora. Sed utinam non in sancta dicam sanctorum: non in sancta ipsa: sed in atria tantum huius coelestis templi ascende retis: hæc enim quæ sunt per se quidem grauissima: tipula leuiora putaretis. Prophetam enim hunc cer neretis ueluti splendor firmamenti/refulgentem: & quoniā cæteros ad iustitiā & fidē erudiuit ueluti stellæ ī perpetuas æternitates emicantem. Sed in his obtenebrescit aspectus hominū: in his humana he bescit acies: in his uelut in solis deliquio uester defi cit obtutus. Dicā tamē ego/ni sermo interdicetur/ quæ hisce oculis uideo. Quā magna: q̄ singularia: q̄ diuina de hoc uno in cœlesti illo nondum uobis explicato uolumine digito dei reperiuntur scripta: quos prouentus: quos fructus: quæ miracula est in uerbo domini facturus: quæ oracula: quæ ꝓdigia: quæ sacramenta editurus: quibus piaculis crimina uestra expiaturus. Video ego iam legiōes hominū: christianorum agmina/sacerdotum cuneos ex hoc

uno tanquam ex equo troiano ut uos dicitis/ad fa
tal e proelium prodituros: ad fidem recuperãdam:
ad terrenam etiam Hyerusalem tam diu a bonis
deploratam diuino munere capessendam exornan
dãq;. Video iam Florentiæ omnia ignescere/ omnia
ardescere: omnia ueluti in solis quodammodo cen
tro illustrari atq; accendi: unde per uniuersum am
bitum ignita illa spicula: ardentia illa missilia diui
nitus collineentur. Sed hæret aqua: occluditur os:
mediaq; in uoce resisto: Obmutescere cogor. Refer
re non possum quæ & ingenium uestrum superãt/
& uestram fidem/ bona me uenia audite/ mortuam
fugiunt & dedignãtur informem. Intercepta igitur
sunt quæ singillatim & particulatim uobis dicere
cogitaram. In uniuersum autem hoc tantum scito
te: hunc esse illũ: in quo tanquam in cardine totius
christianæ ecclesiæ salus splendorq; nitatur. Hunc
esse sane hominem/ sed ab ipsis humanis affectioni
bus uindicta/ ut ita loquar/ diuina penitus assertũ
diuinisq;: & quod plerunq; fit/ interpolatis afflati
bus sæpius illustratum. Hunc tandem esse illũ (ut
semel omnia complectar) de quo nuper e cælo trini
tatis nostris auribus ĩtonuit uox illa coelestis. Hic
est dilecti filii mei dilectus seruus: ĩ quo mihi bene
cõplacuit: ipsum audite. Quis erit igitur tam ini
quus iudex: tam ignarus rerũ æstimator: qui neget
hac præsertim tempestate hunc esse homiem illum
sacratiorem: quem tu Nesi uidisti in lunaribus (ut
ita dicam (suggestis diuinitus perorãtem: & ĩ mun
dana quodãmodo concione uniuersos homines ad
ueritatẽ fidei reuocantẽ: quẽ admirari quidẽ debẽt

omnes: imitari uero æque pauci pñt/ac nemo repre hẽdere. Et tñ nõ pudet ueteratores quosdã/os pro fecto durũ & ceruicosum/hunc/hoiem certe: quia ĩ corpore: Sed qm̃ quasi extra corpus diuinis illũ in teresse dapibus atq; mensis accũbere diuũ sæpe uidi mus/supra hoiem ĩterdũ atq; heroa: nõ pudet inq̃/ hunc nõ modo meritis suarũ laudũ defraudare p̃co niis: Sed aut repetũdarũ: aut ãbitus: aut peculatus/ aut stellionatus crimĩe incusãtes tot cedere obpro briis: tot onerare cõuitiis. Nõ pudet hũc citra æmu lum sane si sapienter oĩa p̃sitentur: tam hostili aĩo insequi: tam balba de nare/hoc est/tanta irrisiõe ca lũniari. Sed neq; id mirũ. Nãq; ut p̃clare Apuleius. (Memini enĩ me in studiorũ meorũ tyrocinio lege re) peccatũ semel/ut bonus quisq; sollicitius cauet: ita qui ingenio malo ẽ: cõfidentius integrat: ac iam de cætero quo sæpius: eo aptius delinq̃t. Pudor. n. ueluti uestis/quãto obsoletior est: tãto incuriosius habetur. Et audẽt p̃terea & perseuerãt adhuc scioli quidã atq; argutuli in corde suo: ĩmo & in coronis & in triuiis dicere nõ ẽ deus: nõ est deus q loquitur in eo. Hi cũ ardẽtiori inuidia disrũpãtur/cætera cõ donãt homini: ut ĩ hoc illis fides præstetur maior. Nõ ẽ deus: nõ ẽ deus qui loquitur in eo. Quæ illu sio ista est? quæ suggestio? quæ demẽtia? Heu demẽ tes uos: heu uecordes: q tã delusi estis ut delusionẽ ip̃am ĩuertere tẽtetis: ac tãtã apud uos depositã gra tiã interuertere nõ dubitetis. Exitus acta p̃bat. Ab euentu fidẽ petimus. Expectate paululũ. Sed uere q loquitur in uobis non ẽ deus: nõ ẽ deus noster: sed alienus: sed ambitio: sed superbia: sed nephas ip̃m.

Exitus et eventus male probamus [illegible]

Cæterum in eo loquitur Deus ipse: animaduertite opera sua/ quæ opera Dei sũt: Et nemo exercet opera Dei nisi qui ex Deo est: & qui ex Deo est/ Deus est in eo/ qui loquitur uobis ĩ filio & in prophetis. Quousq; igitur irruitis in hominem/ interficietis uniuersi uos: tanq̃ parieti inclinato & maceriæ depulsæ: Quamobrem si uiri estis amici omnes ponite quæso ridicula ista deliramenta: missas facite cõmenticias istas atq; aniles fabellas: omittite iam cõtumeliosa illa cauilla: quibus uobis met/ ut de turdela dicitur/ uiscũ paratis. Canite iam quæso receptui: ne in neruum erumpat uestra ista tam grandis tã temulenta fortitudo. At res inqt ille/ ad triarios rediit. Ad triarios? Falleris amice. Velitaris hæc pugna est/ prælusoria est/ & tanq̃ cytharœdorum ꝓcẽtio. Sed esto ad triarios. Ad uestros ne an nostros? Si ad uestros: Videte quãtum uobis imineat discriminis. Illis enim uictis fugatisq; ea uobis remanet spes: quæ sub iugum missis: quæ sub hasta uẽditis. Verum si ad nostros: Qui creditis posse uinci qui Deo auspice semper fuere uictores? Sed cedo uincãtur. Veluti hydræ capita reuiuiscẽt. Milia milium renascentur fulmina belli. Insurget enĩ tunc robur imperatorium: Ingruet alata illa atq; fatalis legio: erumpet prætorius cuneus/ qui cornua peccatorũ cõfringet: qui exaltabit cornua iusti. Cogitate ergo q̃ ex iniquo loco certetis. Hic Scylla: illic Carybdis: Scopulus medius. Retrahite igitur uela: inhibete remos: neq; aduersus Deum/ neq; aduersus naturam tytanico more pugnetis. Desinite quæso fodicare nostros. Desinite tam importunum illis ne

(238)

gotium facessere: tam indignis probris maledictisq;
incessere. Non ne frustra niti (ut est apud Sallustiũ)
neq; aliud se fatigando nisi odiũ quærere, extremæ
dementiæ est? Fauete precor (siquis locus est preci
bus) fauete linguis: siue potius si sapitis, siquid re
stat pensi, palinodiam canite: obprobria recãtate,
stilum uertite: Et hunc de quo agimus uirum: nõ
ut quendam ex annaliũ memoria: sed ut quẽdam
diuinum prophetam e coelo in prouinciam uestrã
delapsum obseruate: idq; tanq̃ amplissimũ, quãtũ
hoc tempore conferri potest, beneficium Deo opti
mo maximo acceptum referte. Tu uero Florentia
licet in alea fortunæ posita & in hoc tã incõstãti re
rum humanarum ludo ueluti in fritillo quodam
infœlix thesserarum iactus incumbat: licet in calcy
dico eurypo uerseris: Cõfide tamẽ: si tua salus tibi
cordi est: Spera tamẽ, fidei stringe gladium: oratio
nis talaria necte: scutum patiẽtiæ summe: nec tibi
metuas hilum. In fatis enim est: diuina lege cautũ
est: exploratum: compertum: nõ ex delphico: sed
ex diuino oraculo æditũ quod de te et dixit et scrip
sit diuino nomĩe uates. Quia rectum est uerbum
domini & omnia opera eius in fide. Te. S. post illa
tria sexcentis antea sæculis decantata calamitatum
genera: quæ iam iam ex pandoræ illius uase deuol
uuntur in te Italiamq; uniuersam, proelia: pestilẽ
tiam: famem. Te inq̃ post deploratam italiæ salutẽ
saluabit dominus ex ore leonis, & a cornibus uni
cornium humilitatem tuam. Deus ĩ medio tui nõ
cõmouebitur: adiuuabit te Deus mane diluculo:
& semen seruorũ eius possidebit te: & qui diligunt

nomen eius habitabunt in te. Vox exultationis &
salutis ĩ tabernaculis tuis/lõgitudo dierũ ĩ dextera
tua/& in sinistra tua diuitiæ. Filii tui sicut nouellæ
plãtationes ĩ iuuẽtute sua: filiæ tuæ cõpositæ: circũ
ornatæ ut similitudo tẽpli: prõptuaria tua plena
eructãtia ex hoc in illud. Talẽ igitur uirũ: tã rarũ:
tã præclarũ: tã exptem humanarũ affectionũ: tã a se
cretis diuinis uaticinãtẽ: tantũ deniq xpianæ ubiq
gentium nutantis fidei interpolatorem: & lunaris
ille globus nymbusq & iubar ipsum ĩ capite/ & os
nectare ministrante Angelo delibutum/& radiorũ
multitudo illa oculos auresq audiẽtium bene ma
leq afficiens indicabãt. Idem si rem exactius perpẽ
des secundo somnio confirmant quæ de ortu pro
fectuq auis illius phœnicis. s. distinctius conspexi
sti. Nam quid uermis ille ex ossibus medullisq pa
rentis in arabia natus? nisi hunc a teneris (ut aiunt
græci) unguiculis ex cruciatibus neceq domini ĩ ip
sa relligione renatum? Quid inde pullum iusta
patri reddidisse? nisi hũc primam ingressum adule
scentiam deo se uouisse liberatori? Quid nidũ in
solis urbem detulisse: ĩn araq deposuisse? nisi sedẽ/
ubi plurimos esset pariturus filios/florentiæ in cru
ce domini statuisse? in qua urbe/ quod sole clarius
est/ regnat Sol iustitie christus deus noster. Quid
magni illa cõuersio anni? nisi militãtis ecclesiæ cõ
uersionẽ innouationẽq una cum huius uiri ætate
coalescere? Notum ẽ quid significationes tempesta
tum: quid leonis caput: quid Sol arietis aulam in
grediens sibi uelint. Christum. s. ĩ urbem illam he
truriæ/ cuius est horoscopus aries/ cuius est typus
leo/regem ascitum esse & cooptatum. Immo ut ue

Hec conuersio [illegible] [illegible] tempore [illegible] Hie [illegible]

(12-39)

rius loquar/asciuisse illam & cooptasse atq; ne peri clitans nutansq; diutius labasceret hunc ueluti an choram de superna prora quodammodo iecisse: cu ius tenaci dente aduncoq; morsu alligans firmansq; illam: mediis licet fluctibus iactatã: plurimo licet uentorꝶ turbine exagitatã/ĩmobilẽ tamẽ ipsã incõ cussã semp & munitã undecũq; cõseruet: ac fouens cõplectẽsq; tueatur atq; defenset. Volatilẽ uero uir gã hoc est caduceũ ipsũ ac satos dẽtes breuitatis stu dio &/ut ait Maro/spatiis ĩclusus iniqs prætereo/ cæterisq; cũ maior tẽporis occasio postulauerit/eno dãda relinquo. Sed nõ est instituti mei neq; diuini præcepti singula singulis reddere adamussim: neq; ad uiuũ oĩa resecare. Plura tu nosces/quasi uirgula illa diuina suppeditari. Verum de horizõte nihil. Ascẽde tu q̃so Nepos tuopte ĩgenio ad illũ orbẽ: & quæ ĩ eo ad hãc rẽ mysteria lateãt/ non sine admira tione ꝑcipies. Abacũ uero illã quodã ueluti tecto rio dealbatã: pocula duo: grãdia uasa: poma ĩcogni ta: tũc maxime ĩtelliges: cũ humanæ uitæ conditio nẽ/quæ plus aloes q̃ mellis hẽt/ accuratius pensita bis: cũ albis nigrisq; lapillis faustos infaustosq; dies ãnumerabis. Quæ uero ad auditores ꝑtinẽt/nihil est ut ĩtepreter. Nosti tu/ si sapis/qd diuersitas sibi uelit oculorꝶ auriũq;: qd ulyxea cæra. Hoc ẽ nescio an recte/qd sapientia humana. Nosti si uere solaris es: qd diuersi radiorum effectus: Nosti quos appro bet astrũ: quos reprobet obelus. Nosti qd mortife rũ signũ: qd ĩfœlix littera: qd nigrũ uelit uitio præfi gere theta. Nosti ẽt Ezechielis testimonio q̃ sit salu taris nota Tau: quomõq; ĩcolumitatis symbolũ. Mẽ bra uero illa partim detracta: partĩ turgẽtia: partĩ de

creſcentia non carent exemplis. Euolue tu diuerſo
rum temporum hyſtorias: percurre annales. Nam
quid ex hac ueluti aruſpicina monearis/ nō erit niſi
operepretium cognouiſſe. De uariis autē prodigio
ſisq; brutorum generibus uaria hominum ingenia
referētibus ne uerbum quidem faciam. Quicquid
enim in medium afferrem: id totum ex ea eſſet offi
cina: cui ſi ut debes/ utq; iam facis/ operam dabis:
in hoc quoq; philoſophiæ genere non eris cuiquam
meo quidem iudicio ſecundus. Verum quid nouæ
illæ figuræ: quas lucifugæ ut diximus/ ueluti petau
riſtæ/ ueluti ſchoenobates & funiambuli ad littera
rum exemplar imitabantur/ portendant: ut hacte
nus inauditum eſt: ita & noſtris temporibus inui
ſum & mutire uobis periculoſum. Nimius eſſem ſi
uel uno uerbo/ imo uel una tātum littera/ quid ex
multis illis morbis quaſi ex æde libitina documen
ti reportetis/ innuerem. Nam & tu Neſi ſi bonis lit
teris tinctus es & tu nepos: ſi philoſophiæ candida
tus/ ex uobiſmetipſis facile aſſequemini. Triquetrā
uero figuram: aſcenſum in ſolē: radiorū incremētū
decremētūq; ac circuitū ipſū ſilētio præteribo. Vos
ipſi ſi nō obtuſa adeo geſtatis pectora: ueſtra poteri
tis ſagacitate uenari. Nec ad illā diſputationem ag
grediar: ſi tracti/ quomō ſponte: ſi ſponte/ quomō
tracti. Maius opus hoc eſt: lōgioreq; ꝗ ſit præſentis
tēporis/ ſpeculationem deſiderat. Neq; ꝑterea Neſi
omnium eſt corinthū petere. Tuæ. n. hæ partes erūt
aliqn̄ nepos. Tuā tibi reliquimus itegram meſſem.
Sed uenio ad cygnū: ad cygnū illū iter caules infau
ſti illius apii/ quo ſepulchra coronabātur deliteſcē

tem. Qui obtecta primum facie: calore dein nō ab re p̄ utrāq; aurē penetrāte/deposita p̄sona: lumine illustratus: ad regiam solis delatus: ad hoīes regressus/diuinorum interpres/humanorum uictor: deo dicatus/deuotusq; in coelum demum tralatus est. Quæ omnia te non secus ac Platonem oloris pullus/in Socratis gremio plumescēs/te inq̄ nepos (ni frustra uaticinium diuini docuere parentes) ueluti digito præfigurant. Hæc tu ipse tecum reputa: tecū cogita: ad teipsum redi: & in hoc ueluti apologo uitam fortunamq; tuam tanquam in speculo contemplare. Non est tibi opus interpretre: nō hariolo: nō coniectore. Tu te tibi ipsi sis augur: foelix est augurium/si sapis: Sinistrum omen/si mens sana. Alias me nūtio: me quasi nomenclatore ad nouissimum tādem illud conuiuiū te uocauit rex ille coelestis: in quo de torrente uoluptatis potabit te: in quo lacte & melle saturabit: alias iter docuit: ense clypeoq; muniuit. Reminiscere quæso eorum sermonum: quibus tunc homunculus ego te in utranq; /ut fere bāt/aurē dormiētem excitabam: te exhortabar: sed hesitāti/sed balbutienti lingua: At ex animo tū/at ex fide: licet alii aliter cōmentarentur. Sed conscientia mille testes. Scis tu me totū illud/quantulumcunq; ī nobis fuit/opereculæ studiosissime adhibuisse in te componendo/in te subleuando/in te e grege eximendo. Nunc iterum uocalissimus ego a deo missus pensum iam absoluo meum. Nunc uox ipa clamantis e coelo: Para fili uiam domini/uiam senticetis dumetisq; uitiorum obsitam falce penitentiæ purga/uirtutum rastris atq; bipennibus aperi:

doctrinarũ stragulis exorna atq; tapetis. Rectas fac semitas eius, semitas erraticas, semitas deuias atq; distortas tu quasi rubra linea dirige: tu uel prudentiæ circino uel carpentarii exemplo fac rectas. Ecce aduenit dominator dominus: signa ostendunt: prodigia portendunt. Ecce fulminat Iupiter sæuiente borea: montes iam corruunt: decidunt colles: tumescunt æquora: increbescunt fluctus: & horrẽdis ubiq; mugitibus æstuat omne fretum. Ecce ingruit uentorũ turbine ĩexorabilis procella: Ecce sæuit naufraga undecunq; tempestas. Quid? non ne uides, quẽ hesperiæ undæ tyrãnum appellatis, ignei solis dominatu opprimi? Non ne uides omnes de gradu deici? omĩa disturbari? Iam mala inuadunt omnia malos: præsẽtemq; intentãt omnia mortem. Tu fili gratuito munere selectus a Deo, arrige aures: præsto sis: diuinis pare mandatis. Vrge iam urge equum tuum per breue huius uitæ stadium: ac quo te fata ducũt: hoc est quo numina uocant, dirige gressus. Ecce iterum diuinus redit Apollo, atq; coelo demittitur alto: quo iterum uocaris ad pugnam: immo ad uictoriam. Iterum uocaris ad laborem, immo ad triumphũ. Iterum uocaris ad prædã: immo ad gloriam. Ecce iam ad nouum illud sæculum per uarios casus diuino te nomine uoco: Ecce iam per tot discrimina rerum ad auream illam ætatem excito: quæ pretiosior cæteris purgatiorq;, non rubigine non uetustate exedetur: non igne comburetur: Sed amoris flamma exardescens, tanto beatior futura quanto & ardentior. Manent te commilitones tui iam

ad prœlium accincti: iam in ipso procinctu: in ipso cardine: in ipso articulo. Expergiscere igitur/agedũ: Incipe/ dimidium facti qui cœpit habet. Cæteris ad res arduas suæ solent esse uxores impedimento: tibi uero tua & adiumẽto erit & ornamẽto: quæ ĩ omni uita uirum æmulans/& in hoc quoq; pugnæ genere uirago prorsus/te interdum (pace tua dixerim) præ currẽs: eadem qua tu uocatione uocata est. Veni igi tur amabo deuote Deo: Veni expectate diutius: Sic iubet imperator ille optimus. Veni iam dudum si mens non leua fuisset: Veni iam pridem uenture mi les: Veni uocate diuinitus. Iam uulneratus es: Iam saucius. Iã ardes. Eia habes: scio. Quotidie cõfluũt undiq; eruditissimi quiq; certãtes/ dedecus est nõ esse primum. Non patitur moram Christus: Christus te uocat: Aduola. Christus te amat: redama. Chri stus imperat: obtempera. Iam bellum indixit impe rator ille coelestis: iam uexillum in arce posuit. Iam classicum cecinit. Iam duces elegit: copias collegit: exercitum parauit. Quid plura? Iam classem pro cinctam uides. Tu quid moraris? Quid hesitas? Quid expectas? Num calendas græcas? Num dum defluat amnis? At ille labitur & labetur in omne uolubilis æuum. Quid metuis? Quid expauescis? Quid erubescis? Non ne scis q insimulari quiuis etiam innocens potest: reuinci tamen nisi nocens nõ potest. Sed non desunt sequioris ingenii plurimi. Neq; enim me fugit/ qui tuum passim deferant no mẽ: q te ĩsimulẽt/multisq; iurgiis cauillisq; lacessãt/ tibi quotidie illudẽtes exclamãtesq;: Vbi tot armorũ

ſtrepitus: tot tubarum clangores? tot fulmina? tot tonitrua? tot turbines? ubi illæ tam iſtructæ phalanges? ubi alata agmina? ubi cathaphracti exercitus? in quo (dic nobis) diribitorio recenſentur? in quo ſtipendia numerantur? Num forſſtan pulſabit ille terram pede & ſcaturient? Num terram inſpuet/ & proſilient? Dic moueant ſaltem uel formicinum gradũ empuſæ iſtæ: Dic moueãt uel teſtudineum paſſum riduculæ iſtæ manduces: piacularia iſta terriculamẽta. Hem hominis imprudẽtiã. Deciperis bone adoleſcens. Nugamenta iſta ſunt: obde auribus cæras. Vmbræ inq̃ ſunt: nocturna ſimulachra ſunt & quaſi lemures: qui una cum dicto aduolant: uno temporis momento & oriuntur & occidunt: & cum ſunt/ nihil omnino ſunt. Plus timoris incutiũt q̃ moeroris. Vere umbræ/ quæ quanto diſcedis longius/ tãto concreſcunt magis: quanto propius accedis/ tãto decreſcunt magis/ tantoq; ocius euaneſcunt/ quæ decedente ſole duplicantur: aſcendente reſtringũtur: & quaſi gygãtei coloſſi primum/ paulatim & in pygmeorum defluunt breuitatem/ & tãdem ad nihilũ rediguntur. O ſapientes (libet enim uos hoc nomine honoris gratia appellare) ubi ueſtra qua tam elati eſtis ſapientia? Vbi ueſtra qua (ut inquit Cyprianus) uos ipſos implanatis ſciẽtia? Motus coeli non uidetur. Sonus coeli (ut platonice loquar) non auditur: & tamen tanta rotatione agitatur: tam celeri impetu fertur: ut ex ueloci ipſo indefeſſoq; motu nõ moueri uideatur. Et tamen tam uehementi excedentiq; ſonitu omnia quatiuntur: ut & Nili Catadupa ſi cũ coelo conferas/ obmuteſcant omnino: & ipſum ex

nimio ſenſili non ſentiatur/ non exaudiatur. Vm
bras appellatis. Eſto umbræ ſint. Quid tũ? Meræ/
uanæ/imaginariæ/ & præter nomẽ nihil. At umbræ
cuius rei ſunt umbræ? Non ne corporũ? Si umbræ
igitur antecedunt: ſubſequentur & corpora: corpo
ra ferrea: corpora aenea: nullis cedẽtia uiribus: nul
lis molliẽda carminibus. Magna & operoſa moles
nutat diu: diu quatitur: plura deſunt: plura requi
runtur ad motum: Mota uero atq; abacta laxatis
quodãmodo catenis præcipitatur/ debachatur/ de
populatur/ nullis detẽta habenis: nullo freno: nul
lis repagulis. Non tunc formicinus/ nõ tunc teſtu
dineus gradus: ſed fatales ſpumantium equorũ ſal
tus: nauium curſus: ſerpẽtum uolatus: inundatio
populorum/ miſerabiliorq; q̃ ulla unq̃ antea italiæ
calamitas. Dicant me alii deliraſſe: exhibeant mihi
quãtũlibet negotii: nihil refert/ modo tu nobis au
dias. Publicis in te execrationibus inuehatur: tu ta
men noſtra iuſſa capeſſe. Oracula hæc ueluti inſom
nia rideant: ueluti expoſititia cõmẽta contemnãt:
Tu tamen e cælo ædita/ e diuino ſinu decerpta ne
dubita. Vmbras eſſe effutiãt & fanaticas nugas: Tu
tamen murus aeneus eſto. Quid. n. ad te tam tem
porariæ famæ diſpẽdium? Neminem ſeduco: nemi
ni fucum facio: non decipio quenq̃: Verum ſi cæte
ros omnis/ nunq̃ te fili. Filii. n. te loco habeo. Ipſi
tandem a ſe ipſis ſeducti deceptiq; ſuæ perfidiæ non
ĩmeritas luent poenas. Tu ĩ ſalutaribus tabernacu
lis ſoſpes incolumiſq; receptus iocũdiſſimo illo can
tico delectabere. Gloria in excelſis Deo: & in terra
pax hominibus bonæ uoluntatis. Concidant ergo

te totis uerbis: totis uoluminibus: uexent: lacerēt: cōtumelias irrogēt tam tibi foelices q̄ sibi infames. Aequo tamē fer animo. Hæ enim tutum te reddēt ne aut innocentiæ flos pestifero inanis gloriæ flatu marcescat: aut humanæ istius laudis uano auctora mento/æternitatis stipendia defraudētur. Hirciant igitur quantūlibet: baubentur: allatrent: Tu perge coeptū iter intrepidus/& de illorū nequitia atq; mi seria/quod alias cū ī isto adhuc diuersorio cōmora rer/te monui/quātum ipse debeas Deo perpende: qui sedentē te quoq; in umbra mortis illuminauit: & de illorum coetu translatum/qui in densissimis tenebris deuii huc illuc sine duce bachantur/filiis lucis associauit. Sonet uox illa dn̄i suauissima ī auri bus tuis sēp. Sine mortuos sepellire mortuos suos. Tu me sequere. Fuge igitur eo℞ sermōes: fuge etiā ac nihilo secius hirundinum cantus: quæ uere ipso domum tuam confluunt: hyeme uero fugam arri piunt. Fuge intempestiua illa murmura: & impor tunos muscarū susurros/ quæ ī culinam ipsam una cū nidore accedunt: una cum nidore recedūt. Clau deq; obsecro & obstrue aures huiuscemōi syrenum cātibus/& quod Vlyxes nudus & naufragus/si qua fides habetur Homero/consecutus est: tu nuptiali hac uel militari potius ueste indutus christiana ue ritate consequere. Veni igitur: ueni tandem uel de curio uel dux ad hanc militiam bonis auibus coop tate. In uado res est: in portu nauigas. Non te deti neat pudor/cum pudor sit detineri. Non uani hæc umbra sæculi/quam tu a prima/ut uidebaris/pueri tia es aspernatus. Non exitiales illæ uoluptates: me

dicatæ quodammodo animorum meretriculæ: quæ te alliciunt ut inficiant: inficiunt ut strangulent: quæ lõge minus cum uirtute coeunt q̃ cum magnete adamas. Non opes illæ regales/imo potius letales/sordidissima quasi terræ excrementa: quæ quanto plura possideas/tanto a pluribus infoelix ueluti mancipium possideris. Nõ falsi spes honoris: quem tu & expertus es quantum habeat oneris/& q̃ facile agat impreceps eo ambitu laborantes/ aliorum periculo doctus intelligis. Non uulgi illa/quam tanti faciunt/aura gratiolaq;: nõ rumor splendorq; popularis: non inanis illa demum atq; ubiq; decantata gloriola: quæ tam angusto istius orbis limite circunscribitur: tamq; miserãdo/ut ita dicam/gurgustiolo præfinitur. Depone/depone istam queso sarcinulam: non sacculo tibi/non pera opus est. Non cõueniũt Socrati sicionii calcei: nec tibi sicionii mores: Nauus es: Scitus es: Tenes qd uelim. Exime te iam terrenis laqueis: quibus iã diu/ne tibi blãdiar/ne tuis auribus insidias faciã/te eximere oportuit. Rumpe cum propheta uincula eorum/ & proice abste iugum ipsorum. Indue nouum hominem. Veni iterum si laboras ad Christũ. Veni ad Christũ si oneratus es/& Christus reficiet te. Abnega iterũ temetipsum. Tolle: tolle efficacius crucem tuam & sequere Christum: sequere re non uerbis: immo & re & uerbis: mente & animo: animo & corpore. Quicunq; Christum sequitur/ in regnum Christi ueniat. Veniat Florentiam: ubi solus Christus imperat. Vbi lumen missum cœlitus: ubi lumen fulget clarius. In quo lumine uidebis omne lumen/

lumen in ipso mundo ab ipso archetypo mundo illuminatum. Lumen omnẽ hominẽ uenientem in hunc mundum supra ipsum mũdum illuminaturũ. Eluminaturum autẽ omnẽ hominẽ terrenis istis sordibus tabescentem, ac se se in prærupta ista mũdana præcipitãtem. Tu igitur qui iam diu te ab ipsis humanis curis: quæ incautos omnes exedũt & ignauos, me duce abdicare debuisti. Extra aleã positus, si me audies: extra fortunæ ictum: non potes hoc tibi iniunctum a Deo negotium nõ suscipere: Non potes hũc ab eo: cuius iugũ suaue est & onus leue, demandatũ laborem nõ forti animo substinere. Vbi enim est benignitas tua Nepos benigne: si erga Christum tam benigne uocantẽ, non es respõdẽdo benignus? Vbi est uirtus illa tua? Vbi robur? Vbi magnitudo animi: quam præte fers? Vbi plena illa, quam legittime profiteris, multiplex philosophia? Vbi sublimis illa cuius iam iam refers isignia diuinorum scientia, primaq; sapientia? Non ne (ut uere est apud Euripidem) sapiens ille qui sibi ipsi prodesse nequit, nequicq̃ sapit. Rumpe igitur rũpe moram: & in ipsũ tranquillissimũ portũ te recipe, tot quõdã animi defuncte piclis. In quo arma cudere: impedimenta parare queas: ut tandem igneo lumine circũfusus, ac Deo plenus, sacratæ militiæ iuramento auctoratus pro Christo cõferas manus cũ hostibus: ita ut nõ modo coronatus nõ ueneas: nõ modo promissum tibi æs tanq̃ infrequẽti militi nõ resignetur: sed de hostibus ipsis triumphans cũctis tãdem laboribus exanclatis ueluti emeritus exauctoratusq; in patriam reuocatus sexquiplex stipẽdiũ.

tanq̃ prætorius nõ precario/ ſed donario conſequa ris. Ad hoc te non modo exhortatur: ſed acerrimis admotis calcaribus/ ſiquid habes ſenſus cõmunis/ inſtigat & impellit ſecundum ſomnium. Sex eím aquilæ: ſex philoſophorum genera: qui quantũ in ſe eſt/ diuinum ſolem per gradus quoſdam intuen tur/ ſignificaſſe uidentur. Primi enĩ in corpore Dei umbrã: alteri in cælo dei leges: tertii in animo Dei ſimilitudinẽ: quarti in angelo Dei imaginẽ: quinti in diuina (quod a Cicerone factum eſt nomẽ) eſſen tia diuinas ideas ſub nube tamen & ĩ enygmate cõ templantur. Sextus uero philoſophorum ordo cu ius tu paulopoſt principatum geres/ is eſſe intelligi tur: qui cæteris doctrinarum generibus ſuffultus munituſq;/ theologia duce ſuis utiq; opibus ſuffar cinata: fide: ſpe: charitate/ tribus quaſi funalibus uiam monſtrantibus ĩ diuinæ lucis abyſſum ſolus demergitur: indeq; ueluti ex ara tanquam incendia ria auis carbonem ferens. i. conſumatæ illius chari tatis ardorem/ amore diuino diuinitus omnia com plet. Tu igitur Aliete (id enĩ ſexto illi aquilarũ ge neri nomen inditũ eſt) ad gagatẽ lapidem oculos terge: qui aqua accẽditur: ſerpẽtes fugat: nihil igne deperdit: qui prægnans intus eſt: colore fuluo: figu ra tereti: quem Zoroaſtres omnibus lapidibus præ tulit: cuiq; maximam tribuit poteſtatem: hoc eſt: penitudinis flumine animum mentemq; purga: in quo omne demonum robur emaſculatur: amoris flamma nutritur: uirtutum omnium foetura phi betur: ĩ quo fuluus color/ qui ex ruffo uiridiq; con ſtat. i. ſpes charitaſq; præpollens: lõgam omnibus

ſublimemq; æternitatem pollicetur. Nidifica præ terea ad inſtar aquilæ ĩ petra & arbore. In petra qui chriſtus eſt. In arbore/per quam coeleſtium rerum contemplatio deſignatur. Cõcipe quoq; & tu oua terna Trinitatis imaginem naturæ inſtinctu ſignifi cãtia: Trinitatem paulopoſt cum aquilino aſpectu tum olorino cantu foeliciter parituruſ. Quamob rem aquila iam diuina aduola quæſo indefeſſis pen nis: ac te ĩ huius phoenicis nidũ/ in cõmune utriq; cõtubernium recipe diuini Iouis ales/ nouam cum phoenice ſobolẽ propagaturus: quæ aduerſos ſem per ſolis radios intuens nunq̃q; deflectens/ amplis ſimum illud/quod a deo optimo maximo ſibi de legatum eſt/munus/te duce foeliciſſime poſſit obi re. Quibus dictis ille aliquantulũ geſtiens/ ac nos ualere iubens/qua parte capricornus aſcẽdit/remea uit in coelum. Magna ilico aquilarum caterua co mitatus ditatuſq; Sol: per corneam/ ut mihi uide batur/portam in noſtrum/quod græci dicunt emi ſpherion ingreſſus ſomno me excitauit: ac tantarũ rerum nouitate attonitum /uelutiq; apoplexia ob ſtupeſcentem miſſum fecit.

¶ Habes optime princeps noſtrum qualecunq; eſt ſõnium: in quo tibi ſomnoriæ (ut Varro appellat) imagines: in quo decretoria portẽta: piacularia pro monſtra: cliuia auſpicia: poſtulariaq; auguria obi ter occurrent: in quo ſecũdiora etiam prodigia: au guſtioraq; uaticinia offerẽtur. Quæ omnia queãd modum dormientibus nobis non ſine ſtupore ob uerſabantur: ita peruigili tibi atq; inſomni acriori ſunt examine penſitanda. Tibi inq̃ princeps. Sicut

enim piaculū erat apud gētiles ex omni ligno Mercuriū cōficere: Sic quoq; nephas est/ hæc uel obuio cuiq; atq; gregario lancināda/ut itadicā/uel passim cuicūq; præpostera aui lustrato dilaniāda exponere uel Momo ipsi ueluti membra Penthei laceranda. Sed tibi fas est/ tibi profecto/cui percipiēdi huius mysterii atq; probādi lumen infusū est/ tanq̄ signa & notas futurorū cognoscēdas præbere. Habes præterea una cū somnio ueluti corollariū quoddā & auctariū Pici patrui tui oraculū/oscinū quasi augurium. Meditare quæso illud dies atq; noctes/ ac sæpius memoria repete efficax quidem ipsū & cōiectariū/tibi nepoti suo uel diuino etiā iussu dedicatū/ fidele tāti uiri testimoniū: animi mei indicē: īscriptos meo chyrographo de sua nostraq; sētētia pugillares: prophetæ quoq; nostri si placet apologiā. Habes demū eiusdē patrui tui missā e coelo uocē: nuntium diuinū: uocationē tuā: eā quæso arrectis auribus audi/atq; manibus pedibusq; exaudi. Multa q̄dem eius erga te extāt promerita: Sed quod cū hoc conferre possis/inuenies nullū. In cæteris.n.ingratus/in hoc nō beneficiorū modo: sed tuæ quoq; salutis immemor esses: nisi quæ in morem gerēdo reposita est gratiam referres. Non potest hæc accepti ratio subduci colligiq;: Non potest tanta/ut ita dicam/ æris alieni summa a te uel hoc uno nomine conflata expungi nisi dissoluas agendo. Agendo enim hæc quæ integra tamen apud te semper esse debet: gratia referetur. Agendo etiam omnis hæc uirtus coalescet. Agendo tādem salutarem deæ saluti mactans hostiam saluti tuæ optime consulueris.

Sed quid ego dum te ad agendum exhortor/ tam inepta exhortatione detineo? Vale itaq; princeps diuino auspicio foelix. Cui nos quantum in nobis erit ueluti lixæ atq; calones uel saltem uice cotis libẽtissime suppetias feremus: ut si nos tam pretioso circũfluere auro non ualemus/ aliquam saltem rarissimi istius questus particulam quasi suffarranei & (ut est apud Festũ) quartarii reportemus. Vale iterũ nostri memor. Cal. Septẽbres. M.cccclxxxxvi

IMPRESSIT
Ex archetypo Ser Laurentius De
Morgianis Anno Salutis
M.CCCCLXXXXVII.
Octauo idus Maias
FLORENTIAE



Esemplare completo, di cc. 28 con numera=
zione manoscritta; una guardia anteriore scritta.

Novembre 1920